

sentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel offensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXI. Nov. MDCCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIV.

Conceduntur privilegia Exprovincialium Missionariis in Aethiopia Ord. Min. de Observ. Reformat:

Commissarius Terrae Sanctae nequit commorari in Caenobio S. Trinitatis Civit. Neapolis Inn. XI. Const. ed. 1678, Maji 25, P. 2. Idem privilegium Exprovincialium conceditur Penitentiaris Sancti Jo. in Laterano de Urbe a Bened. XIII. Const. ed. 1721, Sep. 1, P. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpet. rei memoriam.

Justitiae, & aequitatis ratio postulat, ut operarii in Vineam Domini strenue, utiliterque laborantes praemii, & honoribus decorentur, quibus, & ipsi ad constanter in suis laboribus persistendum, & alii ad ejusmodi labores alacriter subeundos stimulentur.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) Fratres Millionarii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum in Aethiopia pro tempore deputati, sive illuc ex Europa se conferendo propter itinerum peraspera, & deserta loca, montesque agendorum difficultates, & pericula, sive ibi commorando, propter immodicos illarum Regionum calores, & diversi climatis, ciborumque insalubrium, qualitates eorum naturae contrarias, maximos labores sustineant: Quo vero eorum animi ponderi non succumbant, & in susceptis pro Catholicae fidei, Christianaeque Religionis propagatione laboribus hujusmodi confirmetur, & defessis, seu mercedem emeritis novi semper, & alacres, strenueque Operarii succedant, spe alicujus honoris, & praemii sublevandi, & excitandi sint. Hinc est, quod nos ex commissa nobis coelitus dispensationis munere illorum honorificentiae consulere volentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R. Ecclesiae Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praeposita super rebus Aethiopiae specialiter deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine, dictis Fratribus Missionariis, ut post servitium, seu ministerium in Missione Aethiopiae per duodecim annos dictae Congregationi Cardinalium perseveranter, & laudabiliter praeritum, si ad suas proprias dicti Ordinis Provincias redire voluerint, reversi omnibus, & singulis privilegiis, praerogativis, praemissis, & praecedentibus, quibus Fratres dicti Ordinis, qui Ministri Provinciales fuerunt, tam de jure, quae, & consuetudine, quam alias quomodolibet

Causae praesentis Concessionis.

Concessio dd. privilegiorum post 12. annos Ministerii.

utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si Provincialatus munere perfuncti fuissent, itaut inter ipsos Fratres Missionarios, ac Exprovinciales servetur aequalitas, & quoad ordinem, praecedentiae sola prioritas, sive antianitas Paternitatis attendatur, tenore praesentium, concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis ejusque Provincialium, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegii quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Januarii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

LIV.

Damnatur, & prohibetur Libellus sub tit. Veritable tradition de l'Eglise sur la predestination, & la grace &c. Par M. de Launoy &c.

Dat. 28. Jan. 1704. An. 4.

Const. ed. 1703, Feb. 12, P. 3. Damnata suere folia Cas de conscience &c. Et Const. sequenti damnatur folia: Acte d'Appel &c.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit libellus quidam cui titulus: Veritable tradition de l'Eglise, sur la predestination, & la grace &c. Par M. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison, & Societe de Navarre. A Liege chez Nicolas le Francois, proche les Carmes en Isle, a la prudence 1702. Nuperrime vero Venerabiles Fratres nostri S.R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra haeticam pravitatem, Generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, audita libelli hujusmodi censura, illum ad minus, tamquam impium, blasphemum, necnon fulgidissimo Catholicae Ecclesiae lumini, maximoque Doctori Sancto Augustino quin-

Referatur liber, ejusque damnationis causa.

Ad perpet. rei memoriam.

CUM Nos alias per quasdam nostras in simili forma Brevis literas librum quemdam Gallico idiomate conscriptum, & in duas partes divisum, sub titulo: Ordonnance de Leopold I. Duc de Lorraine, & de Bar &c. donec a Nancy au Mois de Juillet 1701. A Nancy chez Paul Barbier Imprimeur, Libraire a la Ville Neuve 1701. damnaverimus, & reprobaverimus, ac legi, seu retineri prohibuerimus, & alias, prout in praedictis nostris literis die 22. Septembris proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; Subinde vero ad Apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quaedam Folia eodem gallico idiomate typis impressa, quibus titulus: Acte d'Appel interjeté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois de l'execution du Bref du 22. Septembre dernier rendu contre l'Ordonnance de Son Altesse Royale du mois de Juillet 1701. de notre Saint Pere le Pape Clemente XI. mal informé, a notre dit Saint Pere le Pape, lors qu'il sera mieux informé, avec l'Arrêt d'enregistrement d'icelui: Nos nonnullos ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R. E. Cardinalibus, alioque in Sacra Theologia Magistros, & in Decretis Doctores ad eorundem Foliarum examen delegimus, qui omnes Folia ipsa, tanquam continentia propositiones falsas, temerarias, calumniosas, in praxi perniciosas, Ecclesiae injurias, ac jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticae laesivas, similiter damnanda, & prohibenda esse censuerunt. Auditis itaque eorundem Cardinalium, Magistrorum, & Doctorum sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis cure, atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes de ipsorum Cardinalium consilio, Folia supradicta auctoritate Apostolica tenore praesentium damnamus pariter, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specifica & individua mentione, & expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, abolitionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Scopus foliorum.

Causae damnationis dd. foliorum.

Damnatio, & prohibitio praed.

Mandati tradendi dd. folia, & executioni mandandi Breve ed. 22. Septembris.

quinimo ipsimet Ecclesiae, atque Apostolicae Sedi injuriosum, damnandum, & prohibendum esse censuerunt: Hinc est, quod nos pro commissa Nobis divinitus gregis Dominici cura, animarum periculis, atque detrimentis, quae ex praefati libelli lectione, & usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, qui ejusdem Sancti Doctoris praecelsam Doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis firmiter inherere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, libellum praedictum auctoritate Apostolica tenore praesentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, abolitionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate praefata mandantes, ut quicumque libellum hujusmodi penes se habuerint, illum statim atque praesentes literas eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel haeticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignate teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium factis omnibus, & singulis quibuscumque.

Damnatio, & prohibitio praedicta ad mandatum tradendi libellum Inquisitoribus, vel Ordinariis.

Clausula.

§. 1. Ut autem eadem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum; ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae Generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Flore de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exemplaria ibidem affixa relinquere; sic vero publicatas omnes, & singulas, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, & intimatae fuissent.

§. 2. Ipsarum autem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel offensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

LVI.

Damnatur, ac prohibetur quaedam Folia impressa sub titulo: Acte d'Appel interjeté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois de l'execution du Bref du 22. Septembre dernier &c.

Dat. 12. Febr. 1704. An. 4.

Const. praecedenti damnatus fuit libellus: Veritable tradition &c. Et Const. ed. 1705, Jul. 16, P. 5 damnatur Jansenianismus.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Ut autem eadem presentes literae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate praefata similiter decernimus, ut illae ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla, ibidem affixa relinquantur, & sic publicatae omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, & intimatae fuissent.

§.4. Utque ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae eis, dem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Febr. MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium quo declaratur, Provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis Provincialium Absolutorum Eremit. Sancti Augustini Disc. Congreg. Hispan., & Indiarum.

Exprovincialium privilegia concessa fuere Procuratoribus Gen. Insularum Philippinarum ab Inn. XI. Conf. ed. 1677, Dec. 11, P. 2. Et Vicariis Provincialibus Ind. Oriental. Prov. Portugalliae ab hoc Pontifice Conf. ed. 1706, Febr. 1, P. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causa infrequentis Decreti.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Didaci a Sancto Bonaventura Vicarii Generalis, ac Diffinitorum Generalium Congregationis Hispaniae, & Indiarum Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, praeposita exposito, quod ipsi ad tollendam omnem litis occasionem, quae in Congregatione Hispaniae, & Indiarum huiusmodi oriri posset plurimum cupiebant ab eadem Congregatione Cardinalium declarari casum in eorum Constitutionibus omissum, an Rectores Provinciales, quos propter plures alias causas, quam per obitum Ministrorum Provincialium, nempe ob renunciationem, & privationem, ad Provincialatus huiusmodi officium assumi contigisset, absolutis eorum officiis gaudere deberent omnibus, & singulis privilegiis, & exemptionibus, quibus gaudent Provinciales absoluti: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris,

qui sequitur videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis censuit, ac declaravit, gaudere. Romae 14. Decembris 1703. = G. Cardinalis Carpineus = I. F. Grimaldus Segr.

Decretum d. Congregationis pro Provincialibus assumtis.

§.1. Cum autem, sicut dicti Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum huiusmodi quo firmius subsistat, & fervetur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesertim auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Vicarii, & Diffinitorum Gen.

Constitutio relati Decreti.

§.2. Decernentes eadem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis Hispaniae, & Indiarum, ac Ordinis huiusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Febr. MDCCIV., Pontificatus nostri Anno Quarto.

LVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de celebratione Missae B. M. V. singulis anni Sabbatis pro Min. de Observ. Discalc. Provinciae Baticae.

Dat. 13. Febr. 1704. An. 4.

Inn. XI. Conf. ed. 1686, Sep. 5, P. 10. extat confirmatio Indulgentiarum Ordinibus de Observ. concessa.

cessariorum. Et huius Pontificis Constitut. ed. 1705, Maj. 8, P. 5. conceditur eadem facultas Fratribus Provinciae Mexicanae.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad supplicationem dilecti filii Balthasar a Sancto Didaco Fratris expresse pro fessi, ac Procuratoris Provinciae Baticae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Ordinis Discalceatorum S. Francisci Provinciae Baticae, five Hispanen.: Cum in Provincia Batica Ordo Discalceatorum S. Francisci a principio suae erectionis, prout asserbatur, ob singularia, intercessione Beatissimae V. Mariae accepta beneficia in gratitudinis obsequium singulis diebus Sabbati pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, ac pro servatione ipsius Provinciae, non omissa post tertiam conventuali, de ipsa Beatissima Virgine in Aurora Missam celebrare se obstrinxerint; cumque, prout etiam exponeretur, ob multiplicia Ritus duplicis officia, ad quae Ordo praedictus tenetur, nunquam, vel raro Missa de Beatissima Virgine valeat celebrare; idcirco a Fratrem Balthasare a Sancto Didaco Provinciae Baticae Discalceatorum S. Francisci Procuratore Sanctissimo Domino Nostro pro concessione Indulti celebrandi praedictas Missas de Beatissima Virgine singulis anni Sabbatis in Aurora, & licet festo duplici impeditis, nunquam tamen in iisdem Sabbatis omisa alterius Missae Conventualis celebratione, humiliter supplicatum fuit, supplicique libello eidem Sanctissimo porrecto, a Sanctae Suae ad sacrorum Rituum Congregationem remisso, eoque ab Emo, & Rmo Domino Cardinali S. Clementis relato Sac. eadem Rituum Congregatio, exceptis die Nativitatis, ac Sabbatis Paschatis, & Pentecostes, pro Discalceatis S. Francisci Provinciae Baticae, gratiam juxta petita benigne indultit, atque concessit. Die 13. Augusti 1701. = Ita reperitur in Registro Decretorum Congreg. Sac. Rituum, In quorum fidem &c. hac die 15. Febr. 1704. Loco * Sigilli = G. Cardinalis Carpineus = B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secretarium.

Decretum praed. in quo eius causa, & facultas celebrandi d. Missam singulis Sabbatis, exceptis illis Paschatis, & Pentecostes, ac die Nativitatis.

Preces Procuratoris Provincialis.

§.1. Cum autem, sicut praedictus Balthasar Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi quo firmius subsistat, & fervetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Balthasarem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis; Decretum praesertim auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§.2. Decernentes eadem praesentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LIX.

Confirmatur Decretum Congr. Episc., & Regularium de servanda Constitutione Innoc. XI. etiam quoad restrictionem numeri quatuor Praedicatorum Vocalium pro Congregatione Cisterciensis S. Bernardi in Hispaniis.

Dat. 20. Febr. 1704. An. 4.

Laudata Constitutio Inn. XI. ed. fuit an. 1678. Et de Praedicationibus vide Conf. 1701, Febr. 19, P. 1. secundo loco. Et Constit. editam 1720, Maii 29, P. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita Decretum, tenoris, qui sequitur videlicet. In causa vertente inter Religionem S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Reformati Hispaniarum ex una, & Patres Dionysium Ximener, Paulum Freyriam, & adherentes partibus ex altera de, & super observatione Brevis Sa. Mem. Innocentii XI. de anno 1678. expediti pro limitatione numeri Praedicatorum Generalium ad quatuor tantum &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, praeposita referente Eminentissimo Gabriellio, censuit, ac decrevit, praedictum Breve Sa. Mem. Innocentii XI. esse observandum, etiam quoad restrictionem numeri quatuor Praedicatorum vocalium, comprehenso inter ipsos Praedicatorum Toletano Romae 2. Junii 1702. = G. Cardinalis Carpineus I. F. Grimaldus Secr.

Decretum praed. an. 1702 Jun. 2.

§.1. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Guerrero Procurator Generalis Congregationis Reformatae Monachorum eorumdem Hispaniarum Ordinis praedicti Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, & fervetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si qui-

Preces Procuratoris Gen.

si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim, auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Relati Decreti.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis Hispaniarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Februarii MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

L. X.

Dat. 11. Marc. 1704. An. 4.

Conceditur FF. Capuccinis facultas dividendi Provinciam Vallonam in duas, hasque firmandi quibusdam articulis,

Lum. XII Const. ed. 1695, Aug. 6, P. 3 extat divisio Provinciae Sardiniae. Et hujus Pontificis Const. ed. 1721, Jan. 11, P. 21 divisio Provinciae Insulae.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Incordiam.

Acrosancti Apostolatus officium, quod ineffabilis Sapientiae, atque Clementiae Dei altitudo humilitati nostrae meritis licet, & viribus longe impari imponere dignata est salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes ad ea, per quae felici, prosperoque Religiosorum virorum suave Christi jugum sub arctioris vitae instituto, laudabiliter portantium regimini, & gubernio consulitur, libenter intendimus, munericque nostri Pastoralis partes, propensa, desuper charitate interponimus, sicut loquor personarum, rerum, & temporum qualitatibus mature pensatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum, expedire in Domino arbitramur.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratris Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod cum nos alias nempe anno 1702. negotium petite divisionis Provinciae Vallonicae dicti Ordinis novemdecim, Conventibus, quorum decem in Hispanici, & novem in Leodiensis Domini temporali locis reperiantur, constantis, ad Capitulum Generale ejusdem Ordinis die 2. Junii ejusdem anni celebratum examinandum remisimus, ibique auditis hinc inde Fratrum, tam dictorum decem, quam praedictorum novem Conventuum super divisione hujusmodi ab eis postulata, petitionibus, Decretum fuisset, ut Commissarius Generalis ad dictam Provinciam deputaretur, qui super dicta divisione omnes ejusdem Provinciae Religiosos audiret, Principum, ac Populorum sensus exploraret, & divisionis hujusmodi necessitatem examinaret, ac quatenus ea evitari non posset, illius modum, & formam, membraque, confinia, & omnia ad pacem, charitatemque inter partes divisas servandam, conducentia sedulo discuteret, illorumque relationem cum voto suo consultivo ad hanc Almam Urbem transmitteret, dilectus filius Angelicus Wolfacensis Ex-Vicarius, & actualis Diffinitor Generalis dicti Ordinis ad ejusmodi Commissarii generalis munus utraque parte ipsum unanimiter petente, deputatus, ac ad Provinciam praedictam missus, peractis ibi, quae ipsi peragenda erant, apertaque super dicta divisione animi sui sententia eam omnino necessariam, memoratosque decem nempe Eupii Luxemburgi, Arluni, Martisville, Carolo-regii, Montis, seu Mons, Athi, Angia Sonnegii, & Namurci Conventus ab aliis praedictis novem, videlicet, Vernae, Spadae, Malmundarii, Stabuleti, Dionanti, Thudini, & Huii, necnon Sancti Michaelis Civitatis Leodien., & Sanctae Margaritae ejusdem Civitatis Conventibus separandos, ac ex his decem, unam Vallonam pro Vallonibus Regiis nuncupat. ex praedictis vero novem, Conventibus, alteram Leodiensem respective nuncupandas Provincias constituendas esse, retulit, jamque Provinciarum, & Conventuum hujusmodi limites, confinia, & districtus, necnon quaestiones, & alia iustitiae distributivae charitati, & paci consentanea jam forsitan, statuta, designata, & disposita, seu statuenda, designanda, & disponenda Diffinitorio Generali Ordinis praedicti communicata, & ab eo approbata fuerunt, quae septem articulis comprehensa tenoris, qui sequitur, videlicet:

Causa Divisionis praed. d. Rom. Pontificis commissa fuit Capitulo Gen. quod deputavit Commissarium, qui necessarium, & iudicavit divisionem 19. C. nobiori Provin. Vallonae.

Decem nempe Cocubia pro Prov. Vallona, & nove pro Leodien.

Quae Provinciae 9. mande sunt 7. sequentibus articulis a Diffinitorio Gen. approbatis.

Articuli praedicti.

De nomine, & sigillo Provinciae.

De eorum limitibus.

Articuli, de quibus conventum in ordine ad praesentem separationem.

Primus. Nomen, & sigillum Provinciae Valloniae retinebunt, ditionis Regis Hispaniae Conventus. Pro Conventibus autem Principatum Leodiensis, & Stabulensis in Sacro Romano Imperio sitis conficietur sigillum novum, & vocabitur Provincia Leodiensis.

Secundus. Quilibet Provincia se contineat intra limites suorum Conventuum, & suorum districtuum, Regii nempe intra limites Conventuum Montensis, Athenensis, Anghienensis, Sonegienensis, Carolo-regienensis, Namurcenensis, Eupensis, Arlunenensis, Luxemburgensis, & Sancti Jo.

Sti Joannis Baptiste juxta Martis Villam; Leodienses vero intra limites S. Margaritae, & Sancti Michaelis Leodii, Varvicnensis, Spadani, Stabulensis, Malmundarii; Hayensis, Dionatensis, Thudiniensis, absque eo quod liceat Regiis aliquem ex Conventibus Leodiensibus jam memoratis, aut Leodiensibus aliquem ex praefatis Conventibus Regiis jure belli, aut alterius cujuscumque praetextu pretendere, aut occupare, & hoc quantum ad Conventus utriusque Nationis; In casu autem supervenientis alicujus controversiae decident utriusque Nationis Patres.

De Conventibus Districtibus.

Tertius. Quoad districtus vero utriusque partis Conventuum, quibus queruntur lanae, butyrum, calefactio, & cetera sustentationi necessaria. Conventus Thudienensis districtus a parte Carolo-regii extendatur usque in lerne Sancti Angeli, Montigny, Letigneux, Nalines, & Famiouille inclusive a parte vero Hannoniae usque Binchiam. Districtus Carolo-regius ex parte Urbis Thudiniensis comprehendit Andelè, Containe, Marchiennes, Monten. Marchiennes versus Dionantum Gerpines usque Bieme exclusive. Districtus Dionantensis versus Hamurcum praescribitur Godinne, Purnod, Doxenne, Mianoytroupe inclusive, & ab altera parte, Mofe, Riveræ, Cour, & S. Gerard exclusive, versus Luxemburgum usque ad oppidum, & Monasterium S. Huberti inclusive. Districtus Hamurcanus versus Huum usque in Andenne exclusive, & sicut fuit ante, comprehendit etiam Geve. Districtus Veruius versus Eupenam, comprehendit Andriamont Jayron, Rechain, & Thymister. Districtus Conventuum Malmundarii, & Stabulensis inter Conventus Luxemburgum, Arlunensem; & Eupensem; ut olim in posterum remanebunt, & in parte Luxemburgensi comprehenduntur Reth, Bastembac, Bolange, S. Vith cum ipsius Terra Reulanth Ghomen, & pagi adjacentes usque ad Wampach, & Ourt inclusive Salmes cum ipsius Terra, Bellin, Lestailles, & pagi adjacentes usque Boholmetle, & Stembach inclusive.

De mutua charitate inter Provincias.

Quartus. Cum autem Conventus utriusque Nationis sint inter se mixti, & necessario saepius Regii per Leodios, & Leodii per Regios Conventus transire debebunt, observetur erga transeuntes omnimoda, & Seraphica charitas juxta illud Regulæ: Ubicumque se invenerint Fratres, ostendant se Domesticos invicem inter se, & quilibet Provincialis in Capitulis, Congregationibus, & quotiescumque Fratrum mutatio fiet, poterit per Conventus alterius partis, qui sunt in transitu mittere, non petita licentia illius Provincialis; Sed quando Fratres extra praefatos casus volent ire ad Conventus alterius Provinciae, debebunt obtinere obedientiales utriusque Provincialis.

De Praedicatoribus, & Diffinitoribus.

Quinto. Pro bona inter utramque Provinciam correspondentia Praedicatorum maxime Stationarii a RR. PP. poterunt mitti de una ad aliam cum eorum consensu, & in ordine ad Capitula respective pro Discretorum electione servandae sunt Constitutiones.

De reliquis Fratribus.

Sexto. Omnes utriusque Provinciae Sacerdotes celebrabunt unam Missam pro Fratribus, & eorum Patribus, & Maribus defunctis, Idem charitatis munus secundum Constitutiones exequentur Clerici, & Laici Fratres. Ju-

venes ad Ordinem praetendentes recipiantur a Provincialibus suae Nationis, etiam si essent alterius districtus Leodii 13. Julii 1703.

Fr. Angelus Wolfacensis Diffinitor, & Commissarius Gen.
Fr. Dionysius Melmendarius Procurator Gener.
Fr. Claud. Leod. Diffinitor.
Fr. Pacificus Droncenten Diffinitor.
Fr. Vincentius Sonequen. Diff.
Fr. Barnabas Chiniacen. Custos.
Fr. Eligius Leodien. Custos.

Præce: Diffinitorij, & Ordinis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Procurator Generalis, attentis praemissis dictam divisionem expedire censet: Nobis propterea totius Diffinitorij, & Ordinis praedicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hac re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eaque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui relationem Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Portuensis, S. R. Eccl. Cardinalis Accajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super praemissis audiverunt, ac praefatos articulos viderunt, atque mature perpenderit, consilio, dicto Angelico Ex-Vicario, Diffinitori, & Commissario Generali supra praedictos decem Conventus ab aliis novem, Conventibus praedictis (sicut praemittitur) auctoritate nostra Apostolica perpetuo segregandi & separandi, ac ex his decem, unam Vallonam, ex praedictis vero novem Conventibus sic segregatis, & separatis, alteram Leodiensem respective nuncupandas Provincias dicta auctoritate itidem perpetuo erigendi, & instituendi, ipsique novis Provinciis, & illarum Conventibus praedictis limites, confinia, districtus, & quaestiones juxta articulos praesertim auctoritate praedicta assignandi, omniaque, & singula alia in eisdem articulis contenta, & expressa, praedicta auctoritate ordinandi, statuendi, & executioni demandari faciendi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam eadem auctoritate, tenore praesentium tribuimus, & impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio praed. Facoltae in instituendis duobus Provinciis, easque relatis articulis firmandi.

§.4. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici

Clausula.

Auditors judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciae Vallonicae, ac illius Conventum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore mansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

LXI.

Confirmatur, & ampliatur Constitutio Pauli III. de Privilegiis Neophytorum quoad bona temporalia, cum quibusdam Ordinationibus.

De hac re vide Greg. XIII. Const. ed. 1581, Sep. 13. P. 20. Et Const. ed. 1584, Septemb. 1. P. 13. Item Inn. XI. Const. ed. 1681, Aug. 8. P. 5. Et hujus Pontificis Const. ed. 1704, Nov. 20. P. 4.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmissis à quibus præsentis Constitutionis petit.

Propaganda per universum Terrarum Orbem Christianæ Fidei, cujus illibatum, ac perenne Depositum Romana in primis servat Ecclesia, pro commisi Nobis Apostolici muneris debito jugiter intendentes, dum in remotissimas quasque partes Evangelii præcones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicunque disjectis Infidelitatis tenebris ad verum Iustitiae Solem, qui Christus est, agnosendum, eo adjuvante festinant, nullis, quoad fieri potest, humanarum rerum obstaculis impediatur; sicque ad Catholicæ Ecclesiæ gremium ex omni natione, quæ sub cælo est, eo frequentior, quo facilior expediatur accessus.

§.1. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed æternæ potius hereditatis intuitu ad suscipiendam Christi Fidem Infideles allici oporteat, quin etiam edoceri præcipuam Christiani hominis gloriam in eo maxime sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini Nostri; nihilominus rationi congruum, & piæ Matris Ecclesiæ institutis consentaneum arbitramur ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in Fide parvuli lacte potius, quam cibo solido nutriendi sunt, providentiam temperare, ut infirmiores quique a Christianæ Religionis proposito amittendarum facultatum, incurrendæque profus miseræ egestatis horrore non retrahantur: cum potius juxta Canonicas

sanctiones, eos, qui ad Fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post Baptismum, quam, antequam Fidem suscipere, haberentur, & in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

§.2. Quam quidem ob causam complures Romani Pontifices Prædecessores nostri, pro tradita sibi divinitus in iis, quæ ad eisdem Sanctæ Fidei favorem, & propagationem pertinent, Apostolica potestate, multa in Neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus & indemnitati ipsorum, & Christianæ Religionis dignitati, & faciliiori simul infidelium conversioni consilium foret; Præcipue vero fel. rec. Paulus PP. III. Apostolicam Constitutionem edidit in hæc verba, videlicet.

§.3. PAULUS PAPA TERTIUS. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, & alios Infideles quoslibet ad Fidem Catholicam converti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem Fide non distrahi, motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, hac in posterum valitura Constitutione sancimus, quod cuicumque eorumdem Judæorum, & Infidelium, ad dictam Fidem converti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcumque, tam mobilia, quam immobilia intacta, & illata permaneant. Ita ut etiam filii familias, & in patria potestate, ut præsertim, constituti, legitima, & quacunque portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de jure, seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari, aut privari non possint, neque debeant; sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad Fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quatuor fuerint acquisita, & nota sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur; personis vero non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios usus convertenda, bona hujusmodi eisdem Judæis, & aliis Infidelibus, in favorem suscepti Baptismatis, tanquam in pium, usum libere concedimus, eaque apud ipsos hic conversos Judæos, & alios Infideles, remanere decernimus. Interdicentes sub divini anathematis poena, quibusvis tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis, ne ullam super bonis hujusmodi quovis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patientur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam mundi hujus, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? Si ipsi conversionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam Ecclesiasticos, quam Sæculares, per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, ut ipsi conversis manus porrigant adjutrices: ipsi quoque Dioecesani non solum Christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quam de his, quæ ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur,

Ob quas uti ab aliis Rom. Pontif. ita a Paulo III. ed. fuit sequens Constitutio.

Qua concessa fuerunt Conventis retentione bonorum.

Etiam illicite acquisitorum, & eorum Domini non extant.

Item eorum Commendatio apud Christi fideles.

Necnon Privilegia Civilitatis.

Deinde mandatum fuit, & instruantur in articulis Fidei ac ritibus Ecclesiæ.

Item ut matrimonium contrahant cum originariis Christianis.

Necnon ut abstineant a ritibus antiquæ Sæc.

Pœna in contravenientes, negligentes, & eorum Defensores.

Claufulæ et Decreto unius publicationis.

tur, hujusmodi Neophytorum sustentare non negligant, ipsosque a detractionibus, & contumeliis paternæ affectione defendant. Et quoniam per gratiam Baptismi Cives Sanctorum, & domesticæ Dei efficiuntur, longæque dignus existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem Constitutione statuimus, ut Civitatum, & locorum, in quibus sancto Baptismate pro tempore regerantur, vere Cives sint, & privilegiis, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis dumtaxat consequuntur, gaudeant. Curent insuper Sacerdotes baptizantes, & alii de sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum, quam post, illos in articulis Fidei, ac legis novæ præceptis, catholicæque Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, & tam ipsi, quam Dioecesani operam dent, ne cum aliis Judæis, seu Infidelibus, saltem per longum tempus, converterentur, ne, sicut quandoque contigit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat, & quoniam experientia teste compertum est mutuum ipsorum Neophytorum inter se conversationem, ipsos in Fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantum pro incremento Fidei viderint expedire, curent, & studeant Neophytorum ipsos cum originariis Christianis matrimonio copulare, & prohibeant eisdem sub gravibus poenis, ne mortuos more Judæorum sepeliant, aut Sabbata, aliasque solemnitates, & antiquæ sæcæ ritus quoquo modo observent, sed, & Ecclesiæ, & predicationes, prout alii Catholici, frequentent, & in omnibus Christianorum moribus se conformes reddant; Contemptores autem prædictorum, per Sacerdotes, in quorum Parochiis degent, aut alios, ad quos de jure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscunque, Dioecesanos, seu Inquisitoribus hæreticæ pravitatis deserant, & invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus, in provincialibus, & synodalibus Conciliis diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos, & Sacerdotes in præmissis negligentes, quam ipsos Neophytorum, & Infideles prædictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cujuscumque gradus, vel præminentie fuerit, hujusmodi Neophytorum, ne observationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum complectantur, foverit, aut defenderit, poenas contra Fautores Hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrat: Neophyti vero, si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum judaizantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hæreticos, per Ordinarios locorum secundum Sacrorum Canonum instituta procedatur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam Regiis, vel Imperialibus eisdem Judæis, vel Infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum Catholicæ Fidei, aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis, quomodolibet vergant, & ad effectum præsentium, cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus, aliis decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita, in suo robore dura-

tur. Et, ut hujusmodi sanctæ Constitutionis jugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætereundere possit, illam per singulas Cathedrales, & Collegiatis Ecclesiis, aliisque pia loca, in quibus uberius erit Fidelium, concursus, semel in anno ad minus infra divina publicari volumus, & decernimus: & quia difficile foret præsentibus ad singula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quod earundem præsentium transumptis, seu copiis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, ubicunque forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 21. Martii millesimo quingentesimo quadragésimo secundo, Pontificatus nostri anno octavo.

§.4. Nos igitur, ne tam salubris Constitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, & observantia neglectu cujuspiam obsolescat, aut etiam Fidei hostium dolo notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum, quibus hujusmodi negotium commissum expendendum, consilio, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eandem præsertim Constitutionem, omniaque, & singula in ea contenta tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus debere statuimus, & mandamus.

§.5. Simulque, ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem a memorato Paulo Prædecessore statuta clarius explicantes, & quatenus opus sit, etiam amplius extendentes, bona qualibet adventitia, quocumque modo talia censentur, ad filios familias Christianam Religionem profitentes, utpote a patriæ potestatis jugo, quo parentibus infidelibus subdebantur, sacri Baptismatis beneficio profus exemptos, pleno jure spectare, neque super illis usum fructum, aut aliud quodcumque jus præfatis parentibus, quamdiu in infidelitate manserint, ullo modo competere; è contra vero parentes ipsos, aliosque quoscunque, qui Conversionis, eorumque descendibus alias alimenta, seu Dotem præstare quocumque titulo, etiam in subsidium tenerentur, ad eadem alimenta, seu Dotem illis ministranda pariter teneri, & obligatos esse post conversionem eorum, similiter tenore præsentium declaramus, atque etiam ex integro statuimus, decernimus, & mandamus.

§.6. Et quoniam Infidelium, ac præ cæteris Judæorum, malitiam eo usque in odium Christiani nominis processisse pluries compertum est, ut bona sua occultando, seu in alios transfereundo, vel alias de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate disponendo, Filios, aliosque Consanguineos ad Christi Fidem convertos eorumdem bonorum successione, ad quam ab intestato legitime admittendi fuissent, aut etiam spe successione eisdem fraudare tentaverit: Idcirco Nos, rec. mem. Gregorii PP. XIII. Prædecessoris nostri, qui per suas quasdam sub annulo Piscatoris die 13. Septembris 1581. Pontificatus nostri anno octavo.

Causæ ob quas a Clem. XI edita fuerunt relatæ Constitutiones.

Confirmatio, & innovatio.

Item declaratio, & applicatio ad bona adventitia, dote, & alimentum.

Ordinationes, ne Infideles occultent, vel quocumque modo distrahant bona in fructum, dote, & alimentum filiorum convertosrum additis nonnullis provisionibus.

earum sui anno decimo datas literas hujusmodi malo, utpote in Christiane Fidei detrimentum cedenti, occurrendum merito censuit, vestigijs inhærentes, Judæos quoslibet, sicut, & alios Infideles, bona sua, & jura quæcunque in præjudicium filiorum, aut aliorum Consanguineorum, qui alias ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, & Christianam susceperint Religionem, quocunque modo alienare, seu occultare, vel diminueri inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate non posse; sed potius eadem bona, & jura quæcunque (tradita statim post Baptismum legitima quibuscunque alias post obitum competere eorumdem) integre conservare teneri, & obligatos esse; tamque ipsos, quam alios bonorum eorumdem detentores, vel occupatores ad illa, seu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, & de eisdem Inventarium legitime faciendum, & de utendo, & fruendo arbitrio boni viri cavendum, opportunis juris, & facti remedijs compelli posse; atque in eorum bonis, & juribus, si in infidelitate decesserint, ipsorum Filios, seu alios quoscunque Consanguineos, ut præfertur, Christianos eodem prorsus modo, & jure, nulla etiam obstante ingratitude, aut alia quantumvis legitima exheredationis causa, quam, ob suscepti postea Baptismi venerationem, sublatam prorsus esse volumus, succedere debere, ac si iidem Judæi, seu alii Infideles, nullum fecissent, aut ordinaissent testamentum, vel aliam ultimam voluntatem, omnesque, & singulas bonorum, & jurium, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones prædictas in hujus nostre Constitutionis fraudem, & in odium Christiane Fidei factas, seu potius attentatas censeri, ac nullius propterea roboris, & momenti esse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium, sancimus, decernimus, & ordinamus.

Item pro defensione conversionis judæorum, & executioni mandetur Constitutio Gregor. XIII. quoad Conciones ad Hebræos habendas, & Concionatores benigne agant.

§.7. Cæterum ne dum provida sollicitudine temporalia Convertis ad Fidem commoda comparamus, spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis, quemadmodum Infideles cæteros, qui longe sunt, sacris Missionibus institutis, Evangelica prædicatione instruere non cessamus, ita de Judæis etiam, qui magno numero inter Christianos vivunt, & nostris quodammodo oculis obversantur, æterna salute procuranda præcipue cogitamus. Tristitia enim, Nobis magna est (sidenter cum Apostolo dicimus), & continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus miseramur Israeliticam gentem, olim Deo amabilem populum, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi, & custodivit quasi pupillam oculi sui; nunc autem (postquam Judaica in summum sceleris erumpente perfidia, vere iratus est furor Dominus in Populum suum, & usque in finem abominatus est hæreditatem suam) velut gregem sine Pastore dispersum per invia quæque, & inaquosa misere divagantem, ac verbi Dei, quod illi unicum sperest, salutari pabulo destitutum, solo scilicet literæ, quæ occidit, a Judæis cortice degustato, spiritu vero, qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto. Propterea ad eosdem Judæos in Sanctæ Fidei veritate salubriter Audiendos, & trahendos ad Christum, ea omnia, & singula, quæ de sacris lectionibus, seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos, ubicunque

eorum Synagoga fuerint, habendis memoratus Gregorius prædecessor noster in alijs suis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quarto, Kalendis Septembris, Pontificatus sui anno terdiodecimo editis Apostolicis literis, quarum tenorem pro expresso in præsentibus haberi volumus, sapienter constituta sunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolate servari, & sicuti in defuetudinem abierunt, in usum revocari præcipimus, & mandamus, Concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, specialiter admonentes, iisque etiam in nomine Domini districtius injungentes, ut memoratos Judæos non injurijs, contumelijs, aut nimia verborum asperitate, quibus in Judaica magis perfidia obfirmarentur, sed charitate potius, & mansuetudine, quam mitis nos, & humilis corde Christus edocuit, velut oves errantes ad Sanctæ Ecclesiæ caulas suaviter allicere, & patefacta ex veterum potissimum, quas venerantur, Scripturarum oraculis, Christianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni studio tagant, ut ex Judaice pravitatis tenebris, quibus obsecrati sunt oculi eorum, ne videant, Dei Omnipotentis operante virtute, liberentur.

§.8. Postremo Judæos omnes, ceterosque Infideles quoscunque, qui ad Baptismi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus Ecclesiarum Prælati, ac secularibus etiam Principibus per misericordie Dei nostri viscera commendamus, ut eos patrocinio foveant, auctoritate adjuvent, potentia tucantur, neque ab alijs, præsertim vero a Judæis, aut quibusvis Infidelibus ulla in re indebite vexari patiantur; Universosque ubique Terrarum Christianos in Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vice fungimur, nomine hortamur, & obsecramus, ne venientes ex Infidelitate, præsertim pauperes, despiciant, aut avertentur; sed potius novella hujusmodi Ecclesiæ germina officijs, ac beneficijs, prout quisque poterit, excolere, & irrigare non desint, atque, ut veros in Christo fratres, ac domesticos Fidei effectus benigne excipiant, in necessitatibus sublevent, & omni demum Christianæ charitatis genere prosequantur; ut de suscepto Sanctæ Fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum, & exultatio, iis vero, qui foris sunt, & adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium properandi desiderium excitetur.

§.9. Decernentes easdem præsentis literas, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætententes eisdem non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aut alia quavis de causa, quantumvis legitima, & in corpore juris clausa, de ulla subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostre, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & ab eis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, invariabiliter observari: Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere;

Tandem Ecclesiæ Prælati ac secularibus Principibus, omnibusque Christianis Neophyti commendantur.

Clausula.

irritum quoque, & inane, quicquid fecus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea a quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, ac cæteris nostris, & Cancellariæ regulis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam conciliaribus, necnon alijs quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alia quavis firmitate roboratis statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegijs quoque indultis, & literis, etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, & Imperialibus eisdem Judæis, vel Infidelibus quibuslibet singulis, aut eorum universitatibus quomodolibet, & ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis, & urgentissimis, atque etiam titulo oneroso, & vim contractus hinc inde obligatorii inducente concessis, quæ quatenus in detrimentum Catholice Fidei, quam humanis quibusque rationibus quicumque debet præferre Christianus, quomodolibet vergant, & ad effectum dumtaxat præsentium cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus, aliisque omnibus sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis quomodolibet in contrarium præmissorum editis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Decretum annua publicatione.

§.11. Ut autem eadem præsentis literæ omnibus innotescant, quibuscunque locorum Ordinarius, in quorum Dioecesis aliqua Judæorum Synagoga, aut notabilis aliorum Infidelium numerus reperitur, injungimus, & mandamus, ut ea omnia, quæ a Nobis, ut præfertur, constituta, & ordinata sunt, ad eorumdem Judæorum, aliorumve Infidelium notitiam quotannis semel, seu pluries, & eo modo, qui iisdem Ordinarijs opportunior visus fuerit, ut illa, seu eorum exemplum ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac præfatæ Cancellariæ Apostolicæ, Curieque Generalis Innocentianæ, necnon in Acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur; quæ sic publicata, & affixæ omnes, & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimata fuissent.

§.12. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat pa-

ginam hanc nostre confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extensionis, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quarto. Quinto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

LII.

Confirmantur Constitutiones Monachorum Vallis-Umbrosæ cum suis correctionibus, additionibus, & declarationibus ad Regulam S. Benedicti.

Dat. 15. Mar. 1704. An. 4.

Hæc Constitutionibus inserta sunt Ordinationes Alexan. VII. Et hic Pontifex Const. ed. 1704, Dec. 11, P. 5 deputavit Generalem, Diffinitores, & Visitatores in Visitatores Vitæ Communitatis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpet. vel memor.

Injuncto Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio exigit, ut paternam Religiosorum Virorum Altissimi obsequijs sub laudabili vitæ Monasticæ Instituto mancipatorum curam gerentes ipsos in salutari eorum vivendi norma regularique observantia confovere, atque conservare satagamus, ac prout ea quæ simili consilio, ac pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate perennent, Apostolici muniminis præsidio robaremus.

Proemium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, Visitatores, & Diffinitores Congregationis Vallis Umbrosæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, quod alias de mandato nostro nonnullæ declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac correctiones, & additiones ad antiquas ejusdem Congregationis Constitutiones, quo illæ ad posteriora Decreta Apostolica, & præsentem rerum statum aptarentur, factæ, omnesque Ordinationes alias a fel. re. Alexandro PP. VII. Prædecessore nostro pro ipsa Congregatione emanatæ eisdem Constitutionibus insertæ fuerunt. Porro ipsæ Constitutiones una cum correctionibus, additionibus, & Ordinationibus, ac declarationibus hujusmodi a nonnullis Venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis filiis Romanæ Curie Prælati, quibus id commiseramus, remissæ, & in unum volumen collectæ sunt, tenoris, qui sequitur videlicet.

Constitutiones insequentibus jussu ejusdem Roman. Pontificis editæ a nonnullis Cardinalibus, & Prælati in unum volumen collectæ sunt.